

rint vos: exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. Et exeuntes predicabant, ut poenitentiam agerent, & demonia multa eiciebant, & ungebant oleo multos aegrotos, & sanabantur.

(c) Et audivit Herodes Rex: manifestum enim factum est nomen ejus: & dicebant, quia Joannes Baptista resurrexit a mortuis, & propterea operantur virtutes in illo; alii autem dicebant, quia Elias est; alii vero dicebant, quia Propheta est, quasi unus ex Prophetis. Quo audito, Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit.

(d) Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam: dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes autem metuebat Joannem, sciens eum virum justum, & sanctum, & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui coenam fecit principibus, & tribanis, & primis Galilææ. Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulque recumbentibus, Rex ait puellæ: Petite à me quod vis, & dabo tibi: & juravit illi: Quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ cum exisset, dixit matri suæ. Quid petam? At illa dixit, Caput Joannis Baptiste. Cumque introisset statim cum festinatione ad Regem, petiit dicens: Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptiste. Er contristatus est Rex, propter iuramentum, & propter simul incumbentes noluit eam contristare: sed misso spiculate præcepit afferri caput Joannis in disco, & decollavit eum in carcere. Et attulit caput ejus in disco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ. Quo audito discipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus, & posuerunt illud in monumento.

(e) Et convenientes Apostoli ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia quæ egerant, & docuerant. Et ait illis: Venite scorsum in desertum locum, & requiescite pusillum: erant enim qui veniebant, & ridebant multi, & nec spatium manducandi habebant. Et ascendentes in navim, abiierunt in desertum locum scorsum. Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi, & pedestres de omnibus civitatibus cucurrerunt illuc, & prævenerunt eos. Et extens vidit turbam multam. Jesus, & miserus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, & coepit illos docere multa.

(f) Et cum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus dicentes: Desertus est locus hic, & jam hora præterivit: dimitte illos, ut euntes in proximas villas, & vicos, emant sibi cibos quos manducent. Et respondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare. Et dicit eis: Quot panes habetis? Ire, & videre. Et cum cognovissent, dicunt: Quinque, & duos pisces. Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fenum. Et discubuerunt in partes per centenos, & per quinquagenos. Et acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, intruens in Cælum, benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos, & duos pisces divisit omnibus: & manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum.

(g) Et statim coegit discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum. Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare. Et cum sero esset, erat navis in medio mari, & ipse solus in terra, & videns eos laborantes in remigando: erat enim ventus contrarius eis: & circa quartam vigillam noctis, venit ad eos ambulans supra mare, & volebat præterire eos. At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, & exclamaverunt: omnes enim viderunt eum, & conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, & dixit eis: Confidite: ego sum: nolite timere. Et ascendit ad illos in navim, & cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant: non enim intellexerant de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.

(h) Et cum transfretassent: venerunt in terram Genesareth, & applicuerunt. Cumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum, & percurrentes universam regionem illam, coeperunt in grabatis eos qui se male habebant circumferre ubi audiebant eum esse. Et quocumque introbat in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos & deprecabantur eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quotquot tangebant eum, salvi fiebant.

(a) **T**heophylactus (Marc. 6. in princ. Comment.) Post præmissa miracula Dominus in patriam suam revertitur, non ignorans quoniam spernerent eum; sed ut occasionem non haberet ulterius dicendi, Quia si venisses, credidissent tibi: unde dicitur: *Et egressus inde abiit in patriam suam; & sequebantur eum discipuli sui.* Beda (cap. 23. in Marc. in princ.) Patriam ejus Nazareth dicit, in qua erat nutritus. Sed quanta Nazareorum cæcitas, qui eum quem verbis, factisque illius Christum cognoscere poterant, ob solam gentis notitiam contemnunt. Sequitur: *Et factò sabbato coepit in synagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia; & quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales quæ per manus ejus efficiuntur?* Sapientiam ad doctrinam, virtutes referunt ad sanitates, & miracula quæ faciebat.

Sequitur: *Nonne hic est fabri filius Mariæ? Augustinus de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 24.)* Matthæus quidem fabri filium eum dictum esse dicit: nec mirandum est, cum utrumque dici potuerit: eo enim fabrum credebant quo & fabri filium. Hieronymus (in princ. Comment. in cap. 6. Marc.) Filius quidem fabri Jesus vocatur, sed fabri qui fabricatus est auroram, & solem, idest Ecclesiam primam, & sequentem; in quarum figura mulier, & puella sanatur. Beda. Nam etsi humana non sint comparanda divinis, typus tamen integer est: quia Pater Christi igne operatur, & spiritu. Sequitur: *Frater Jacobi, & Jesepe, & Jude, & Simonis: nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt?* Fratres, & sorores ejus secum esse testatur: qui tamen non liberi Joseph, aut Maria; juxta hæreticos, sunt putandi; sed potius, juxta morem Sacre Scripturæ, cognati sunt intelligendi; quomodo Abraham, & Lot fratres appellantur, cum esset Lot filius fratris Abraham. Et scandalizabantur in illo, Scandalum, & error Judæorum salus nostra est, & hæreticorum condemnatio. In tantum enim spernebant Dominum Jesum Christum ut eum fabrum, & fabri vocarent filium. Sequitur: *Et dicebat eis Jesus, quia non est Propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua.* Prophetam dici in Scripturis Dominum Jesum etiam Moyses testis est, qui futuram ejus incarnationem prædicans filiis Israel ait Deuter. 18. „Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris.“ Non solum autem ipse qui Dominus est Prophetarum, sed & Elias, & Hieremias, ceterique Prophetae, minores in patria sua quam in exteris

civitatibus habiti sunt: quia propemodum naturale est civis semper civibus invisere: non enim considerant præsentia viri opera, sed fragile recordantur infantiam. Hieronymus (cinc. princ. Comment. ad cap. 6. Marc.) Comitatur etiam sæpe villitas originem, ut est illud 1. Reg. 25. „Quis est filius Isai? quia „humilia Dominus respicit, & alta à longe cognoscit.“ Psalm. 137. *Theophylactus* (Marc. 6. super *Non est Propheta.*) Sive etiam præcleros consanguineos Propheta habeat, civis odium eos; & propter hoc dehonorat Prophetam. Sequitur: *Et non poterant ibi virtutem ullam facere; nisi paucos infirmos impostis manibus curavisse.* (1) Quod autem dicit, *Non poterat*, intelligere oportet, (2) non volebat: quia non ipse impotens, sed illi infideles erant: ergo ibi non operatur virtutes, parcens eis, ne majori reprehensione digni essent, & recipientium non credentes. Vel aliter. In miraculis faciendis necessaria est virtus operantis, & recipientium fides, quæ ibi deficiebat: unde (3) non volebat Jesus ibi signa facere.

Sequitur: *Et mirabatur propter incredulitatem illorum.* Beda (cap. 23. à med.) Non quasi inopinata, & improvisa miratur qui novit omnia antequam fiant; sed qui novit occulta cordis, quod mirandum intimare vult hominibus, mirari se coram hominibus ostendit: Judæorum enim miranda notatur cæcitas, qui nec Prophetis suis credere de Christo; nec ipsi inter se nato voluerunt credere Christo. Mystice autem Jesus despicitur in domo, & in patria sua, hoc est in populo Judæorum; & ideo pauca ibi signa fecit, ne penitus excusabiles ibi fierent. Majora autem signa quotidie in Gentium populo facit, non tam in sanitate corporum quam in animarum salute.

(b) *Theophylactus* (Marc. 6. sup. *Obambulabat per vicos.*) Non solum in civitatibus predicabat Dominus, sed & in castellis, ut discimus parva non spernere; neque magnas semper querere civitates, sed verbum Dei in vicis abjectis, & villibus seminare: unde dicitur: *Et circumibat castella in circuitu docens.* Beda (cap. 24. in Marc. in princ.) Benignus autem & clemens Dominus, ac Magister non invidet servis, atque discipulis suis virtutes suas; & sicut ipse curaverat omnem languorem, & omnem infirmitatem, Apostolis quoque suis dedit potestatem: unde sequitur: *Et convocavit duodecim, & coepit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum.* Sed multa distantia est inter donare & accipere: iste quodcumque agit potestate

(1) In editionibus Romana, & Veneta ad marginem hæc extat nota. Expositio Chrysostomi hom. 77. in Joannem. (2) Al. non acceptabat. (3) Al. iterum non acceptabat.

Domini agit, illi si quid faciunt imbecillitatem suam, & virtutes Domini consententur, dicentes: Actor. 3. In nomine Jesu surge, & ambulabula. *Theophylactus* (Matth. 6. sup. *Cœpit eos mittere binos.*) Binos autem Apostolos mittit, ut fierent promptiores: quia, ut ait Ecclesiastes cap. 4. melius est simul duos esse, quam unum. *Si autem plures quam duos misisset, non esset sufficiens numerus ut in plura castralla mitterentur.* *Gregorius* in hom. (17. in Evang.) Binos autem in prædicationem discipulos mittit, quoniam duo fuit præcepta caritatis, Dei videlicet amor, & proximi, & minus quam inter duos caritas haberi non potest. Per hoc ergo nobis innotuit quia qui caritatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet.

Sequitur: *Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, neque panem, neque in zona as, sed calceatos sandalios, & ne induerentur duabus tunicis.* *Beda* (cap. 24. in Marc. non procul à princ.) Tanta enim prædicatori in Deo debet esse fiducia, ut presentis vite sumptus, quamvis non provideat, tamen hos sibi non deesse certissime sciat, ne dum mens ejus occupatur ad temporalia, minus aliis provideat æterna. *Chrysostomus* (a). Hoc etiam eis Dominus præcepit, ut per habitum ostenderent quantum à divitiarum desiderio distant. *Theophylactus* (Marc. 6. sup. *Et præcepit eis.*) Instruens etiam eos per hoc non esse amatores munerum, & ut videntes eos prædicare paupertatem acquirescens, cum Apostoli nihil habeant. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 30.) Vel quia cum secundum Matthæum Dominus continue subjecerit cap. 10. nus est enim operarius cibo suo, satis ostendit cur eos possidere hæc, aut ferre noluerit: non quod necessaria non sint necessitati hujus vite, sed quia sic eos mittebat ut eis hoc debere demonstraret ab illis quibus Evangelium credentibus nuntiaret: unde apparet hoc non ita præcepisse Dominum tamquam Evangelistæ vivere aliando non debeant, quam eis præbentibus quibus annuntiant, Evangelium; alioquin contra hoc præceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarum labore transigebat, sed potestatem dedidit, in qua scirent sibi ista debere. Solet item quæri quomodo Matthæus, & Lucas commemoraverint dixisse Dominum discipulis, ut nec virgam ferrent, cum dicat

(1) *Al. cum.* (2) *Al. omittitur* idest. (3) *Al. vestitum.* (4) *Al. permisissus, item permisissus.*
 Ex edit. P. Nicol. (a) Colligitur potius ex Victore Antiocheno Tom. 1. Biblioth. PP. super hunc locum, verbis paululum immutatis. (b) Immo Victor Antiochenus, ex quo & Glossa refert.

Marcus: *Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum.* Quod ita solvitur, ut intelligamus sub alia significatione dictam virgam, que secundum Marcum ferenda est, & sub alia illam que secundum Matthæum, & Lucam non est ferenda. Potuit enim sic breviter dici: Nihil necessarium vobiscum feratis, nisi virgam tantum, ut illud quod dictum est, Nec virgam, intelligatur, nec minimas quidem res: quod vero adjunctum est, *Nisi virgam tantum*, intelligatur, quia per potestatem à Domino receptam, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur, non deerunt. Utrumque ergo Dominus dixit; sed quia non utrumque unus Evangelista commemoravit, putatur ille qui virgam (1) sub alia significatione positam tollendam dixit, ei qui virgam rursus aliud significentem non tollendam dixit, & contrarius; sed jam ratione reddita non putetur. Sic & calceamenta cum dicit Matthæus in via non esse portanda, curam prohibet; quia ideo cogitantur portanda ne desint. Hoc & de duabus tunicis intelligendum est, ne quiliquam eorum præter eam qua esset indutus, aliam portandam curaret, sollicitus ne opus esset, cum ex illa potestate posset accipere. Proinde Marcus dicendo, calceari eos sandalios, vel soleis, aliquid hoc calceamentum mystice significationis habere admonet, ut pes neque rectus sit desuper, nec nudus ad terram; (2) idest, nec occultetur Evangelium, nec terrenis commodis innitatur. Et quod non haberi, vel portare duas tunicas, sed expressus indui prohibet, quid eos monet nisi non dupliciter, sed simpliciter ambulare? Quisquis autem putat non potuisse Dominum in uno sermone quædam figurate, quædam proprie ponere eloquia, cetera ejus inspicat, & videbit quod hoc temere, ac inrudite arbitretur. *Beda* (cap. 16. à med.) In duabus autem tunicis videtur mihi duplex ostendere vestimentum: non quo in locis Scythiæ glaciali nive rigentibus, una quis tunica debeat esse contentus; sed in tunica vestimentum intelligamus, ne aliud (3) vestiti, aliud nobis futurorum timore servetur. *Chrysostomus* (b) Vel aliter. Matthæus, & Lucas non calceamenta, neque baculum portare permittit, quod ostendit perfectissimum esse; Marcus vero baculum jubet assumere, & sandalios calceari; quod dictum est (4) permissivo. *Beda* (ibidem). Allegorice autem per peram onera sæculi, per panem

nem deliciae temporales, per as in zona occultatio sapientie designatur: quia quisquis officium doctoris accipit, neque oneribus sæcularium negotiorum deprimi, neque desiderijs carnalibus resolvi, neque commissum sibi talentum verbi, sub otio debet lenti (1) torporis abscondere. Sequitur: *Et dicebat eis: Quicumque inveneritis in domum, illie manete donec exeatis inde: ubi dat constantia generale mandatum, ut hospitalis necessitudinis jura custodiant, alienum à prædicatore regni celestis astuens curitate per domos. Theophylactus* (Marc. 6. super *In quantumque domum.*) Ne scilicet de gula coningeret eos reprehendi, ab aliis in alios transeuntes. Sequitur: *Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris, in testimonium illis.* Hoc autem Dominus præcepit, ut offenderet quod longam propter eos viam ambulaverunt, & nihil eis profuit: vel quia nihil ab eis acceperunt, etiam neque pulverem; sed & hunc excutunt, ut hoc sit in testimonium illis, idest, in redargutionem illis. *Chrysostomus* (a) Vel ut sit in testimonium laboris vite quam sustinebant pro eis, aut tamquam pulvis peccatorum prædicantium convertatur in ipsos. Sequitur: *Et exeuntes prædicabant ut penitentiam agerent, & dæmonia multa eiciebant, & ungebant oleo multos egros, & sanabantur.* Quod oleo ungerent, solus Marcus enarrat; Jacobus autem in Epistola sua canonica similia dicit. Oleum enim & labores curat, & luminis, & hilaritatis causa existit. Significat autem oleum unctioem Dei misericordiam, infirmitatis medelam, & cordis illuminationem; quod totum oratio operatur. *Theophylactus* (Marc. 6. super *Ungebant infirmos.*) Significat etiam gratiam Spiritus Sancti, per quam à laboribus transmutamur, & lumen, & letitiam spirituales suscipimus. *Beda* (cap. 24. in fin.) Unde patet ab ipsis Apostolis sanctæ Ecclesie morem esse traditum, ut emergenti, vel alii quilibet aegroti, ungantur oleo, pontificali benedictione consecrato.

(c) *Glossa* (b) Post prædicationem discipulorum Christi, & miraculorum operationem, convenienter Evangelista subiungit de fama que consurgebat in populo: unde dicit: *Et audivit Herodes Rex. Chrysostomus* (c) Herodes iste fit. *S. Thom. Op. Tom. XIII.*
 (1) *A. corporis.* (2) *Al. voto.*
 Ex edit. P. Nicol. (a) Quoad primam tantum partem hom. 33. in Matth. sed ex Victore Antiocheno cetera petita sunt. (b) Nihil tale in Glossa que nunc exiit. (c) Est iterum Victoris Antiocheni ubi supra; nec aliud omnino Chrysostomus nisi Herodem qui pueros necavit, hujus patrem fuisse, hom. 49. in Matth. Paulo aliter etiam Victor, Herodem dici Regem à Marco, & aliis, vel quia hoc paterna consuetudini tribuerunt; vel quia illa voce licentiosius abusi sunt; non autem quia hoc voto ejus congruum existebat, ut hic. (d) Immo iterum Victor Antiochenus ubi supra.

lius erat primi Herodis, sub quo Josephus Jesum duxerat in Ægyptum. Tetrarcham autem Matthæus neminat hunc, atque Lucas tamquam principantem super quartam partem regni patris sui. Romani enim post mortem patris, regnum in partes quatuor diviserunt. Marcus vero Regem eum vocat, aut patris consuetudine, aut quia hoc (2) loco ejus congruum existebat. *Hieronymus* (Marc. 6. super *Et audivit Rex Herodes.*) Sequitur: *Manesum enim factum est nomen ejus: lucernam enim sub modio absconditas non est.* *Et dicebant*, scilicet aliqui de turba, quia *Joannes Baptista resurrexit à mortuis, & propterea operantur virtutes in illo.* *Beda* (cap. 25. in princ.) Quanta enim fuit Judæorum invidia docemur: ecce enim Joannem, de quo dictum est Joan. 10. quia, signum fecit nullum, à mortuis potuisse resurgere, nullo attestante credebant; Jesum autem approbatum à Deo virtutibus, & signis, cujus resurrectionem Angeli, Apostoli, viri, ac femine prædicabant, non resurrexisse, sed furtim esse ablatum credere maluerunt: qui cum dicerent Joannem resurrexisse à mortuis, & propterea virtutes operatas esse in illo, bene de virtute resurrectionis senserant, quod majoris potentie futuri sunt sancti, cum à mortuis resurrexerint, quam fuerant cum carnis adhuc infirmitate gravarentur.

Sequitur: *Alii autem dicebant, quia Elias est.* *Theophylactus* (Marc. 6. super *Alii dicebant, Elias est.*) Constat enim multos homines Joannes quando dicebat Matth. 3. Genimina viperarum, & dicitur, *Et audivit Elias, & ait: Quasi unus ex Prophetis.* *Chrysostomus* (d) Mihi quidem videtur hunc Prophetam dicere de quo Moyses dixit Deut. 18. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris. Recte quidem; sed quia manifeste dicere, trapidabant, hic est Christus, Moysi utebantur voce, propriam suspicionem velantes, proposito enim suorum timore. Sequitur: *Quo audito, Herodes ait: Quem ego decollavi, Joannem, hic à mortuis resurrexit.* Per ironiam hoc Herodes expressè pronuntiat. *Theophylactus* (Marc. 6. super *Quia Joannes Baptista resurrexit.*) Vel aliter. Sciens Herodes quod Joannem justum existentem

tem sine causa o'c'de'at, credebatur eum a mortuis resurrexisse, & quod ex resurrectione suscepisset miraculorum operationem. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 34.) In his autem verbis Lucas Marco attestatur, ut hoc dicitur: quod alii dixerint, non Herodes Joannem surrexisse; sed haesitationem Lucas cap. 9. commemoravit Herodem, verbaque ejus ita posuit dicens: „ Joannem ego decollavi. Quis autem, est iste, de quo audio talia? „ Intelligendum est autem post hanc haesitationem confirmasse in animo suo quod ab aliis dicebatur, cum ait prioris suis, sicut *Matthaeus* narrat cap. 14. „ Hic, est Joannes Baptistae, ipse surrexit a mortuis. „ At ita pronuntianda sunt haec verba ut haesitantem ad huc indicent; praesertim quia & Marcus, qui saepius dixerat ab aliis dictum fuisse, quod Joannes a mortuis surrexerit; in extremo tamen ipsum Herodem dixisse non tacet: *Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit.* Quare item verba duobus modis pronuntari possunt, ut aut confirmantis, aut dubitantis intelligantur.

(d) *Theophylactus* (Marc. 6. par. ante med. Comm.) Ex praemissis Marcus Evangelista occasionem sumens, hic de morte commemorat Praetoris, dicens: *Isse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, & vincit eum in carcere, propter Herodiadem uxorem fratris sui, quia duxerat eam.* *Beda* (a) (cap. 25. super Herodes in sit.) Vetus narrat historia, Philippum Herodis majoris filium, sub quo Dominus fugit in Aegyptum fratrem hujus Herodis, sub quo passus est Christus, duxisse Herodiadem uxorem filiam Regis Aetiae, postea vero fornicem ejus, exortis quibusdam contra generum similitudibus, tulisse filiam suam; & in dolore mariti prioris, (1) Herodis inimici ejus nuptias copulasse. Ergo Joannes Baptistae arguit Herodem, & Herodiadem; quod illicitas nuptias fecerint; & non liceat, fratres vivente germano, illius uxorem ducere. *Theophylactus* (Marc. 6. ante med. Comment.) Alii (2) autem dicunt, quod Philippus jam mortuus reliquerit ex se filiam: quam propter non debebat Herodes fratris, quamvis defuncti uxorem ducere. Lex enim praecipiebat quod frater uxorem fratris acciperet, cum defunctus prolem non haberet; (3) illi autem erat filia, propter quod erant nuptiae sceleratae.

Sequitur: *Herodias autem instabat ut illum decolleret, & non poterat.* *Beda* (a) (cap. 25. super Herodes in sit.) *Al. deest Herodias. (2) In quatuor citatis Joannis exemplis desunt sequentia verba usque ad Lex enim, ubi legitur Lex etiam; & N. coli Lex autem. (3) Al. ibi. (4) Al. natiu. aterni.*

Ex edit. P. Nicol. (a) Sic Hieronymus quoque iisdem verbis, quae ab illis mutatae sunt *Beda*. (b) Nihil tale in Glossa quae nunc extat.

(cap. 25. par. ante med.) Timebat enim Herodias ne Herodes aliquando respiceret, vel Philippo fratri suo amicus fieret; atque illicitae nuptiae repudio solverentur. *Augustinus* de Civitate Dei (lib. 18. cap. 10.) *Sequitur: Herodes autem timebat Joannem, quia sciebat eum virum justum, & sanctum.* *Glossa* (b) Timebat, inquam, eum reverendo; sciebat enim eum esse justum, quoad homines, & sanctum, quoad Deum: & custodabat eum, ne scilicet ab Herodiade interficeretur: & audito eo multa sciebat: quia putavit eum spiritu Dei loqui; & libenter eum audiebat: quia reputabat utilia quae ab eo dicebantur. *Theophylactus* (Marc. 6. par. ante med. Comment.) Vide autem quantum operatur concupiscentiae rabies: quia cum Herodes tantam circa Joannem habebat reverentiam, & timorem, horum sit immemor, ut suae fornicationi provideret. *Remigius* super Matth. Libidinoso enim voluntas eum coegit in illum manum mittere quem sciebat justum, & sanctum. Ac per hoc datur intelligi quia minus peccatam factum est ei causa majoris peccati: secundum illud Apocal. 22. „ Qui in fordsibus, est, descendat adhuc. „

Sequitur: *Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cenam fecit principibus, & tribunus, & primis Galilaeae.* *Beda* (cap. 25. ante med.) Sola mortalium Herodes, & Pharaeo leguntur diem natalis sui gaudiis festivis celebrasse; sed uterque Rex insano auspicio (4) festivitatem suam sanguine foedavit: verum Herodes tanto majore impietate, quanto sanctum, & innocentem doctorem veritatis occidit; & hoc pro voto, ac petitione saltatricis; sequitur enim: *Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, & simul recumbentibus, Rex ait: Peto a me quod vis, & dabo tibi.* *Theophylactus* (Marc. 6. cir. med. Comm.) Dum enim convivium sit; satanas per puellam saltat, & iusjurandum percipit sceleratum; sequitur enim: *Et juravit illi: Quia quicquid petieris dabo tibi, licet aemulorum regni mei.* *Beda* (cap. 25. paul. ante med.) Non excusatur ab homicidio per iuramentum: ideo enim forte juravit, ut occasionem inveniret occidendi; & si patris, aut matris interitum postulasset, non utriusque concessisset Herodes. *Sequitur: Quae cum dixisset, dixit matri suae, Quid petam? At illa dixit, Caput Joannis Baptistae.* Digno operi saltationis, dignum postulat sanguinis praemium.

Sequitur: *Cumque introisset statim cum discipulis suis, & dedit illud puellae, & puella dedit matri suae.* *Gregorius* 3. Moral. (cap. 4. & in novis exemplis super illud „ Qui testa saniam dadebat. „) Non sine gravissima admiratione perpendo, quod ille prophetiae spiritu intra matris utrum impleretur, quo inter matris mulierum nemo major surrexit, ab inquis in carcere mittitur, & pro puella saltu capite truncatur, & vir tanta severitate pro usu truncatum moritur. Numquid credimus aliquid tunc quod in ejus vita, illa sic despecta mors, (2) teegeret? Sed quando ille vel in cibo speccavit,

natione ad Regem, petivit dicens: *Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistae.* *Theophylactus* (Marc. 6. in med. Comm.) Maligna mulier protinus sibi caput Joannis dari petit, id est statim in illa hora: timebat enim ne Herodes respiceret.

Sequitur: *Et contristatus est Rex. Beda* (cap. 25.) Consuetudinis est Scripturarum ut opinionem multorum sic narret Historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur: sicut & Joseph ab ipsa quoque Maria appellatur pater Jesu; ita & nunc Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant: dissimulato enim mentis tristitiam praeterebat in tacie, cum letitiam haberet in mente; scilicet quae excusat iuramento, ut sub occasione pietatis impius fieret: unde sequitur: *Propter iusjurandum, & propter simul discumbentes noluit eam contristare.* *Theophylactus* (Marc. 6. in med. Comm.) Herodes quidem non sui compos, sed voluptuosus iusjurandum implevit, & iustum (1) interemit. Decebat autem magis in hoc perjurare, & non tantum scelus operari. *Beda* (cap. 25. in med.) Quod autem subdit, *Et propter simul recumbentes, vult omnes sceleris sui esse consortes, ut in luxurioso, impuroque convivio cruenta epulae deferrentur: unde sequitur: Sed in isto spiculatoris, praecipit asserit caput Joannis in disco.* *Theophylactus* (cap. 6. in med. Comm.) Spiculator carnifex dicitur, qui constituitur ad homines interficiendum. *Beda* (cap. 25. in Marc. ante med.) Non autem Herodem puduit caput occisi hominis ante convivas inferre. Pharaeo vero nil talis vesania commississe legitur. Ex utroque tamen exemplo probatur utilis esse nobis diem mortis futurae timendo, & caste agendo saepius in memoriam revocare, quam diem natiuitatis luxuriando celebrare. Homo enim ad laborem nascitur in mundo, & electi ad requiem per mortem transeunt a mundo.

Sequitur: *Et decollavit eum in carcere, & attulit caput ejus in disco, & dedit illud puellae, & puella dedit matri suae.* *Gregorius* 3. Moral. (cap. 4. & in novis exemplis super illud „ Qui testa saniam dadebat. „) Non sine gravissima admiratione perpendo, quod ille prophetiae spiritu intra matris utrum impleretur, quo inter matris mulierum nemo major surrexit, ab inquis in carcere mittitur, & pro puella saltu capite truncatur, & vir tanta severitate pro usu truncatum moritur. Numquid credimus aliquid tunc quod in ejus vita, illa sic despecta mors, (2) teegeret? Sed quando ille vel in cibo speccavit,

qui locustas solummodo, & mel sive stercus edit? Quando conversatione sua offendere potuit, qui de eremo non recessit? Quid est quod omnipotens Deus sic vehementer in hoc saeculo despiciat quos sic sublimiter ante saecula (3) elegit? nisi hoc quod pietati fidelium patet quoniam idcirco sic eos premit in infimis, quia videret quomodo remuneret in summis; & foras usque ad despecta dejicit, quia in usque ad incomprehensibilia perducit. Hinc ergo unumquisque colligat, quid illic passuri sint quos te probat, si hic sic cruciat quos amat.

Sequitur: *Quo audito discipuli eius venerunt, & tulerunt corpus ejus, & posuerunt illud in monumento.* *Beda* (cap. 25. a med.) Narrat Josephus, (a) vinctum Joannem in castellum Macheronta adductum, ibique truncatum; narrat vero ecclesiastica Historia (b) sepultum eum in Sebaste Palaestina urbe, quae quondam Samaria dicta est. Decollatio autem Joannis, minoranone fama illius qua Christus a populo credebatur infirmus, sicut exaltatio Salvatoris in crucem profectum designabat fidei: quia & ipse, qui prius a turbis propheta esse credebatur, Dei Filius a cunctis fidelibus est agnitus; unde Joannes quem oportebat mitti, cum dignum lumen deserere incipit natus est; Dominus autem eo tempore anni quo dies crederetur incipit. *Theophylactus* (Marc. 6. in med. Comment.) Mystice autem Herodes, qui interpretatur pellicanus, populus est Judaeorum, qui habebat uxorem, scilicet inane gloriari, cuius filia saltat; & interitum etiam nunc circa Judaeos, scilicet falsus intellectus Scripturarum, & dicitur putaverunt siquidem Joannem a despectu verbum propheticum, & sine capite Christo habent eum; *Hieronymus* (Marc. 6. super Quo audito. *Herodes ait.*) Vel aliter, Caput legis, quod est Christus, de corpore abscinditur proprio, id est Judaeo populo; & datur gentili puellae, id est Romanae Ecclesiae, & puella datur matri, scilicet ad alteram, id est synagogam creditur in fine. Corpus Joannis sepelitur, caput quod dicitur collocatur: littera humata legitur, spiritus in altari honoratur, & sumitur, ut quod magis amaretur, in vitam.

(c) *Glossa* (c) Postquam Evangelista narravit mortem Joannis, narrat etiam quae Christus cum suis discipulis post mortem Joannis egerit, dicens: *Et convenientes Apostoli ad Jesum, conveniaverunt ad omnia quae egerant, & docuerant.* *Hieronymus* (Marc. 6. super Convenientes Apostoli ad Jesum.) Ad locum enim unde exeunt flumina, revertuntur: Deo semper referunt gratiam.

(1) Al. interimit. (2) Al. tangeret. (3) Al. elegerit.

Ex edit. P. Nicol. (a) Lib. 18. Antiq. Judaic. cap. 7. (b) Quod subiungitur ex Historia eccles. Theodoretus infirmus Lib. 3. cap. 6. (c) Nihil tale in Glossa quae nunc extat. (1)

tias nisi super his quæ acceperant. *Theophylactus* (Marc. 6. à med.) Discamus autem & nos cum in ministerium aliquid mittimur, non elongari, & ultra commissum officium non effugere, sed mittentem visitare, & renuntiare ei omnino quæ egimus, & docuimus. *Beda* (cap. 25. à med.) Non enim solum oportet docere, sed facere. Non solum autem quæ ipsi egerant, & docuerant, Apostoli Domino renuntiant; sed etiam quæ Joannes, eis in docendo occupatis, sic passus, & sui, & Joannis discipuli Domino renuntiant, sicut Matthæus describit.

Sequitur: *Et ait illis: Venite secum in desertum locum, & requiescite pusillum.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 45.) Hoc continuo post Joannis passionem factum esse commemorat: unde post hæc facta sunt illa quæ primo narrata sunt, quibus motus Herodes dixit: *Hic est Joannes Baptista quem ego decollavi.* *Theophylactus* (Marc. 6. à med. Comm.) In desertum autem recedit locum propter humilitatem. Quiescere autem facit Christus suos discipulos, ut addiscant præpositi, quod qui laborant in opere, & sermone, requiem promerentur, & quod non debent continue laborare. *Beda* (cap. 25. prope finem.) Quæ autem necessitas fuerit concedendæ requiei discipulis, ostendit eum subdit: *Erant enim qui veniebant, & credebant multi; & nec spatium manducandæ habebant:* ubi temporis illius felicitas de labore docentium simul, & discentium studio demonstratur. Sequitur: *Et ascendentes in navim abiierunt in desertum locum secum.* Non discipuli soli, sed assumpto Domino ascendentes in navim, locum petiere desertum, ut Matthæus demonstrat. Tenat autem fidem turbatum: petendo enim solitudinem, an sequi curent explorat: illi sequendo, & non in iumentis, aut vehiculis diversis, sed proprio labore pedum, quantam salutis suæ curam gerant, ostendunt. Sequitur: *Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi, & pedes de omnibus civitatibus ecurrerunt illuc, & prævenierunt eos.* Dum pedestres eos prævenisse dicuntur, ostenditur quia non in aliam maris, sive Jordanis ripam navigio pervenerunt discipuli eum Domino; sed proxima ejusdem regionis loca adierunt, quo etiam indigenæ pedestres poterant pervenire. *Theophylactus* (Marc. 6. à med.) Ita in Christum non expectans quod ipse revocet, sed præcurrens eum, prævenias. Sequitur: *Et exiens vidit turbam multam Jesus, & miseratus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem.* Pharisei lupi existentes rapaces non pascebant populum, sed devorabant: propter hoc ad Christum verum congregantur.

(1) Al. in tribulationum sarcinam sui iugum.

pastorem; qui tradidit illis cibum spiritualem, scilicet verbi Dei: unde sequitur: *Et cepit eos docere multa.* Videns enim eos qui miraculorum occasione eum sequebantur, præ longitudine viæ fessos, eorum miseratus, voluit eorum satisfacere voluntati, docendo eos. *Beda* (cap. 26. in Marc. in princ.) Matthæus dicit, quod curavit languidos eorum: hoc est enim veraciter pauperum miserari, eis veritatis viam docendo aperire, & molestias corporales auferre. *Hieronymus* (Marc. 6. super *Venite secum.*) Mystice autem secum dicit Dominus quos elegit, ut inter malos viventes, mala non intendat, ut Lot in Sodomis, & Job in terra Hus, & Abdias in domo Achab. *Beda* (cap. 25. in Marc.) Derelicta etiam Judæa, in deserto Ecclesiæ prædicatores sancti, qui apud Judæos (1) tribulationum sarcina premebantur, de gratia fidei Gentibus collata requiem nocti sunt. *Hieronymus* (Marc. 6. super illud, *Et requiescite.*) Passiva tamen est hic sanctis requies, longus labor; sed postea dicitur illis ut requiescant à laboribus suis. Sicut autem in arca Noe animalia quæ intus erant, foris mittebantur, & quæ foris erant, intro erumpebant; sic agitur in Ecclesia: Judæi recessit, latro accessit. Sed quamdiu recedunt à fide in Ecclesia, non est requies sine morbo: Rachel enim plorat filios suos noluit consolari. Non est etiam hoc convivium, in quo bibitur vinum novum cum cantabitur canticum novum ab hominibus novis, cum mortale hoc in dicit immortalitatem. *Beda* (cap. 26.) Christum autem petentem deserta Gentium, multa fidelium ceteræ relictis moribus præcæ conversationis sequuntur.

(1) *Theophylactus* (Marc. 6. super *Et egressus vidit turbam.*) Præponens Dominus quod utilis est, scilicet cibum sermonis Dei, deinde etiam corporalem cibum præbuit turbæ; ad cuius narrationem Evangelista accedit, dicens: *Et cum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus dicentes: Desertus est locus hic.* *Beda* (cap. 26. al. à princ.) Horam multam vespertinum tempus dicit: unde Lucas dicit cap. 9. Dies autem cœperat declinare. *Theophylactus* (Marc. 6. à med. Comment.) Vide autem quomodo discipuli Christi circa hominum amorem proficiunt: turbatum enim miseri accedunt ad Christum, & pro eis intercedunt. Dominus autem tentavit eos si ejus virtutem tantam esse cognoverant quod turbas pasceret, posset: unde sequitur: *Et respondens ait illis: Dato eis panem manducare.* *Beda* (cap. 26. super *Dato eis manducare.*) Provocat etiam Apostolos, hoc dicens, ad fractionem panis; ut illis scilicet non habere

testantibus, magnitudo signi notior fieret. *Theophylactus* (Marc. 6. à med. Comment.) Discipuli autem arguebant eum tamquam ignorantem quid illis esset necessarium ad tantam multitudinem turbatum pascedam: unde turbati respondent: sequitur enim: *Et dixerunt ei: Euntes emanus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 46.) Hoc Philippus apud Joannem respondet; sed Marcus à discipulis responsum esse commemorat; volens intelligi hoc ex ore ceterorum Philippum respondisse; quamquam & pluralem numerum pro singulari usitatissime ponere poterit. Sequitur: *Et dicit eis: Quot panes habetis? Ite, & videte.* Hoc à Domino factum esse ceteri Evangelistæ prætermiserunt. Sequitur: *Et cum cognovissent, dicunt: Quinque, & duos pisces.* Quod Andreas apud Joannem de quinque panibus, & duobus piscibus suggererit, hoc ceteri Evangelistæ, pluralem numerum pro singulari ponentes, ex discipulorum persona retulerunt. Sequitur: *Et præcepit illis ut accubere facerent omnes secundum contubernia super viride fenum.* *Et discubuerunt in partes per centenos, & per quinquagenos.* Quod autem Lucas dicit quinquagenos iustos esse discubere, Marcus vero quinquagenos, & centenos; ideo non hoc movet, quia unus partem dicit, alter totum: qui enim de centenis retulit, hoc retulit quod ille prætermisit. *Theophylactus* (post med. Comm. in cap. 6.) Per hoc autem datur intelligi, quod (1) separatim discubuerunt per partes & partes: (2) quod enim hic dicitur per contubernia, in Græco germinate dicitur. *Symposia symposia*; hoc est, per distributa convivia. Sequitur: *Et acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, intuens in caelum, benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis, ut ponerent ante eos, & duos pisces distribuit omnibus.* *Chrysostomus* (hom. 30. in Matth.) Decenter autem in caelum asperit: quia in deserto manna accipientes Judæi, de Deo dicere attentaverunt; Num, quid poterit dare panem? *Psal.* 77. Ne vero hoc contingat, antequam faceret, ad Patrem retulit quod erat facturum. *Theophylactus.* Intuetur etiam in caelum, ut (3) nos instrueret à Deo petere eicam, & non à diabolo, sicut faciunt illi qui alienis iniuste laboribus nutriuntur. Ex hoc etiam turbis tunc innuit quod non esset Deo contrarius, sed Deum invocaret. Dat autem panem discipulis apponendum turbis, ut tractando panem non dubium, sed miraculum videat.

(1) *Al. sequelstrati.* (2) *In quatuor exemplis supra iam citatis habetur: In Græco enim quod hic dicitur secundum contubernia, duplicatur; ac si diceretur, per contubernia, & contubernia.* (3) *Al. deest nos.* (4) *Al. omittitur esurientes.* (5) *Al. cogitatione.*

tur. Sequitur: *Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et susulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos.* Duodecim cophini superabundant fragmentorum, ut quolibet Apostolorum unum cophinum super humerum apportante, ineffabile miraculum videatur. Superabundantis enim virtutis erat non solum tot homines pasceret, sed & tantam superabundantiam relinquere fragmentorum: Moyses enim etsi manna dabat, secundum uniuscujusque necessitatem illud largiebatur, superfluum vero verbis scaturiebat; Elias etiam viduam pasicens, quantum ei erat sufficiens tribuebat; Jesus vero tamquam Dominus superabundanter operabatur. *Beda* (cap. 16. in Mar. inter pibe. & medium.) Mystice autem die declinata turbas (4) esurientes Salvator reficit: quia vel sine sæculorum propinquante, vel cum sol iustitiæ pro nobis occubuit, à spiritualis inedia sumus tabe salvari. Provocat Apostolos ad fractionem panis, insinuans quod quotidie per eos jejuna sunt corda nostra pasenda, eorum scilicet litteris, & exemplis. Per quinque panes, quinque Moisaicæ libri; per duos pisces, *Psal.* mi sunt, & Prophetæ figurati. *Theophylactus* (Marc. 6. inter med. & fin. Comm.) Vel duo pisces sunt piscatorum sermones, scilicet Epistolæ, & Evangelium. *Beda* (cap. 26. circ. fin.) Quia vero quinque sunt exterioris hominis sensus, quinque millia viri Dominum secuti designant eos qui in sæculari adhuc habitu positi exterioribus bene uti noverunt. *Gregorius* 16. Moral. (cap. 26. in novo temp. & in antiq. cap. 23.) Diversi convivantium discubitus distinctiones Ecclesiarum, quæ unam catholicam faciunt, designant. Jubilæi autem requies quinquagenarii numeri mysterio continetur, & quinquagenarius bis ducitur, ut ad centenarium perveniat. Quia ergo prius à malo quiescit opere, ut post animæ plenius quiescat (5) in cognitione, alii quinquagenarii, alii centeni discubunt. *Beda* (cap. 26. in Marc. circ. finem.) Super fenum autem discumbentes dominicis pascentur alimentis, qui per continentiam calcatis concupiscentiis, ad quædam implendisque Dei verbis operam impendunt. Salvator autem non nova creat cibaria: quia veniens in carne non alia quam quæ prædicata sunt prædicat; sed legis, & Prophetarum scripta quam gravida sint mysterii gratie demonstrat. Intuetur in caelum, ut ibi lucem doceat esse quaerendam. Frangit, & ante turbas ponenda distribuit discipulis: quia sacramenta prophetiæ sanctis doctoribus, qui

Al. deest nos. (4) *Al. omittitur esurientes.* (5) *Al. cogitatione.*

